

$\pi_d$   
278



QK. 533, 23

B. M. T.

II d  
278

PROSOPOPOEIAM  
MVLTORVM ERRORVM  
GRAVISSIMORVM EFFECTRICEM

PRAE SIDE  
IOANNE FRIDERICO  
HILLERO

PROF. ELOQV. PVBL. ORD. ATQVE ALVM.  
ELECT. EPHOR.

V. KALEND. OCTOBR. A. R. S. CICCI LXVIII

IN AUDITORIO MAIORI

D E M O N S T R A T

A V C T O R

CAROLVS AVGVSTVS BOEHME

D R E S D E N S I S


S A C R A R. L I T E R A R. C V L T O R.



VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.





VIRIS  
SPLENDIDISSIMIS IVRECONSVLTISSIMIS  
AMPLISSLIMIS ATQVE DOCTISSIMIS  
**CONSVLIBVS**  
AC  
**SENATORIBVS**  
CIVITATIS DRESDENSIS  
**PATRONIS**  
OMNI PIETATIS OBSERVANTIA COLENDIS  
HANC DIATRIBEN ACADEMICAM

D. D. D.

CAROLVS AVGVSTVS BOEHME



AIRIS  
SPLENDIDISSIMIS LVRICONIALATISSIMA  
ARMATISSIMA TERRA DOCTISSIMA  
CONSERVABAS  
AC  
SENATORIBAS  
CIVITATIS DRESDENSI  
PATRONIS  
OMNI PLENTATIS OBSERVANTIA COLENDA  
HANC DIVITIARIEN ACADEMIA  
CAROLAS MAGNATAS RODINAE

VIRI  
SPLENDIDISSIMI IVRISCONSULTISSIMI  
AMPLISSIMI ATQUE DOCTISSIMI  
PATRONI SVMMOPERE SVSPICIENDI

 Ingratus merito, ne dicam improbus  
videri possim, si, cum a VOBIS, PA-  
TRES OBSERVANDI, saepissime ma-  
ximis fuerim beneficiis affectus, haec silentio  
transeam, neque hac occasione data meum v-  
OBIS officium comprobem. Iam a prima aetate,  
VOS, VIRI AMPLISSIMI, arx mea fuistis, me-  
que opibus necessariis nudatum, VESTRO pa-  
trocinio haud indignum censuistis, cumque  
amplioris institutionis capax iudicarer, VESTRA  
singulari erga me facilitate gratuitum locum in  
Afraneo, quod Misenae floret, mihi concessi-  
stis, ubi sexennium fidelissima sum praecepto-  
rum institutione ad humanitatem formatus.  
Quo tandem peracto, Academiam Vitember-

gensem frequentaturus, cum futurae egestatis  
metu ternerer, fere a proposito meo desistissem.  
Sed VESTRA erga inopes eximia liberalitas mihi  
subuenit, meque iam quadriennium in hac  
literarum sede aluit. Tot igitur tantisque mu-  
neribus a VOBIS ornatus, hunc libellum NO-  
MINIBVS VESTRIS AMPLISSIMIS sacrum esse  
volo, demisse rogans, ut me porro in fidem  
VESTRAM recipiatis, ac iudicij VESTRI ae-  
quitate animum mihi addatis. Nihil certe po-  
terit gratius contingere optatiusque, quam si  
mihi persuadere liceat, expectationem VESTRAM  
me non penitus fecellisse. Quod vero defue-  
rit ingenio, religione compensabo votorum,  
ut Numen praepotens salutem VESTRAM quam  
diutissime tueatur, GENTES VESTRAS AMPLIS-  
SIMAS felicitate manente propaget, VESTRAQUE  
consilia prospera iubeat esse, et cum laude flo-  
rentissima conjuncta. Valete, PATRONI sum-  
ma semper veneratione PROSEQVENDI, mihique,  
si tanti me putatis, fauere prolixè pergit. Vi-  
tembergae v. Kalend. Octobr. cīc cc Lxviii.

808



## PROSOPOPOEIA

MVLTORVM ERRORVM GRAVISSIMORVM  
EFFECTRIX.

### §. I.

Quo maius trahit momentum rhetorice sacra, in *Natura*  
animis hominum flectendis, eo melius sibi con-*prosopopoeiae*.  
fulunt illi, qui non vulgarem operam ei nauant,  
ad munus sacrum praeparandum. In primis autem si-  
gurae, quae patheticae vocantur, diligenter considera-  
tiae, viam monstrant, qua possit orator sacer in men-  
tes hominum se insinuare, eorumque pectora permo-  
nere. Ad harum fastigium nos euehit prosopopoeia, de

A 2

qua

qua cum Vossius, in libris sex commentariorum rhetorico-  
rum, ex instituto praeceperit, dimissis rebus vulgo notis,  
breuiter quaedam praemuniam. *Prospopoeia Ciceroni*  
*vocatur ficta personarum induc<sup>tio</sup>,*<sup>1)</sup> quam definitionem  
nostram quoque facimus. Prospopoeia tribuit animan-  
tibus atque inanimatis sermonem hominumque actiones,  
singit eorum hominum, qui inter homines esse desierunt, tan-  
quam viuorum ac praesentium, actiones atque orationes, ac de-  
functos excitat ab inferis, et in conspectu viuorum collocat.  
Vnde elucet, duplē recte poni modum prospopoeiae, unus  
est, quo e non persona facimus personam, alter, quo mor-  
tuos loqui singimus. Vtriusque vim ac dignitatem exempla lecta  
nos clarissime docebunt. Ordiamur a posteriore forma huius fi-  
gurae, quae mortuos inducit loquentes. Facile mihi foret, e pro-  
fanis scriptoribus exempla commemorabilia cumulare. Sed e  
sacris monumentis, instituti mei memor, ea decerpere malo.  
Hic mihi in mentem venit regis Babylonii descensus ad inferos,  
apud Esaiam.<sup>2)</sup> Quo aduentante, gentium reges ac princi-  
pes folia protinus sua relinquunt, illumque hanc in senten-  
tiā alloquuntur. *Tene, hic conspicimus, nostri similem, te ui-  
ribus prostratum, o gentium debellator, vel sepulchri post mor-  
zem expers.* Nolo plura. Est enim tanta sublimitas proso-  
popoeiae diuinæ, ut eam oratione consequi non possim, in  
ipsis fontibus dulcius legendam. Nec deest specimen, diuini-

BIB

1) Cic. de Orat. Lib. III. Cap. 53.

2) Ef. XIV, 9. et seqq.

tus

tus editum, alterius rationis, qua res, quae persona non est, in personam conuertitur. *Huc enim pertinet res creata gemens apud Paulum 3,) quae tot gemitus interpretibus excitauit.* Longum effet, horum sententias varias in medium proferre. Mihi quidem ea, praeter caeteras, probatur, quae de animantibus, ratione destitutis, rebusque inanimatis, tot corrupte- lis per innumerabilia hominum vitia expositis, cogitat, earumque spei, fore, ut nouissimo die in integrum restituantur, a Paullo grauiter exponi, censet. Noli dicere inueniste, restales ingemiscere non posse. Ipsa prosopopoeia te statim meliora sentire cogit, quam tanto magis hic amplector, quod apostolus solet eam in his ad Romanos literis frequentare. Modo enim legis in nos dominium, quoad viuimus, inculcat, modo peccati nobis tyrannidem ea, qua solet, gratitate describit, ne quid de morte dicam ac sepulchro, quae alio in loco ludibrio habet. Quo minus dubito, quin amico Christi sit ante oculos obuersata imago renascentis terrae, olim vi diuina expectanda. Maximam vero audaciam prodit prosopopoeia, quae inanimatis etiam actiones hominumque sermones, non tantum vitam, tribuit. Abundat CICERO Iuculentis huius figurae speciminibus. Animus eius, beneficio Marcelli, cui Caesar ignouerat, commotus, vel res vita destitutas in gaudii societatem vocat. *Parietes,* inquit Cicero, *medius fidus, C. CAESAR, ut mibi videtur, tibi gratias agere gestiunr,*

*11.3 mero milini XI. dcl A 3*

*quod*

*3) Rom. VIII, 19 seq.*

6

quod breui tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorum et suis sedibus. 4) Sed redeamus ad sacras tabulas, quarum praesertim vaticinationes plenae sunt, ob stylum saepe sublimem, his picturis. *Obstupescite ad hoc, o coeli, vobamenti horrore perculti.* 5) *Placide quiescit omnis terra, aperto triumpho, etiam abietibus pinisque Libani super te gaudentibus: ex quo occubuisti, nullus ad nos sector escendit.* 6) *Audite, o coeli, attende, o terra.* 7) Nonne ex his omnibus clarissime elucet, maximam dignitatem continere prosoopoeciam, ideoque magnam habere vim in eloquentia? Itaque FABIVS, praestantissimus dicendi magister, in omni genere ornamento rum huic animi permoti, indici plurimum tribuit, illamque per omnes rationes, in quibus oratoris verlatur industria, hanc in sententiam dicit: *Suadendo, obiurgando, querendo, laudando, miserando, personas idoneas damus.* 8) Vidimus igitur, et mortuis, et rebus creatis aliis, tam viuis, quam inanimatis, vitam actionesque personarum viuentium affingi. Quae diximus de mortuis, in iis nostra sententia nihil hic restat scrupuli, quia iam personis annumerati fuerunt sed de aliis rebus conditis forsan quibusdam nos insulsa, ob eamque caussam incredibilia praedicare videmur. Si eiusmodi rebus tribuuntur actiones personarum, facile quis sibi persuadebit, per se talia

4) Cic. pro Marcello C. III.

7) Esai. I, 2.

5) Jerem. II, 12.

8) Lib. IX, instit. oratt, C. II.

6) Esai. XIV, 7, 8.

7

talia cogitari non posse, quae ab earum natura abhorreant.  
Sed alia notio simul est subintelligenda, quae rationem habet  
in comparationibus, ab hominibus petitis. Exemplo haec fient  
clariora. Si vocamus coelum ira acutum, nos, quanquam  
id non sentimus et obseruamus, illud cum homine irato  
conferimus. Ineptum sane foret, si quis dicere vellet,  
ipsum coelum ira flagrare, cum affectibus humanis ea est  
accensenda. Itaque duae notiones in prosopopoeia sem-  
per sunt coniungendae, quod etiam in lectione scriptorum  
elegantiorum nobis obseruandum est. Artium saltē non  
imperiti, quae ab humanitate nomen habent, sciunt, ani-  
malia, ratione destituta, resque inanimatas hac comparatione  
occulta maximam vim dignitatēque consequi.

§. II.

OMNINO quoque primo adspēctū maxime incredibile *Dotes pro-  
videtur, si regioni, vel vrbi, aliisque locis actiones rerum  
sopopoeiae.*  
animatarum, earumque ratione praeditarum, sensus, motus  
perceptionesque adscribit prosopopoeia. Sed paullo subtilius  
modum, quo id fieri possit, anquimentibus, statim omnis du-  
bitatio atque admiratio euaneat. Nulli rei inanimatae  
actiones personarum et perceptiones tribui possunt, nisi prius  
huic intelligentia affingatur. Facillime nodus hic a nobis sol-  
uitur, si ea μετωνυμίως dicta putamus, qui metonymiae  
modus

modus, in scholis rhetorum, artificiose vocatur metonymia continentis pro contento, qua locus accipitur pro illis, quae eo continentur. Atque hic metonymiae modus fundamentum ponit prosopopoeiae. Possimus quidem incolas commemorare, sed, ut multo elatiorem efficaciemque nostram reddamus orationem, locis personarum tribuitur imago. Poetae atque oratores, ea studiosissime quaerentes, quibus animos hominum trahere, suspensosque tenere possint, hoc ornamento vtuntur saepissime, quo magis attentioni auditorumque excitationi inseruire queant. Hac via non solum ea, quae in plura sunt diuisa, ad unum singularemque reuocantur numerum, quo fit, ut mens nostra rerum praesentium maiorem concipiatur motum, quia in uno simul plura, vel omnia conspici possunt, quod minime potest effici, animo per tot partes distracto. Sed etiam animus horrore quodam percellitur, si regiones atque vrbes armatae, iracundae, sanguinis cupidae, vastantes, lamentantes, laetitia exsultantes, nobis fistuntur. Exemplis, quibus reserta sunt vatum diuinorum scripta, praelstantissimis, iterum lubet ea, quae dicta sunt, confirmare atque illustrare. Iesaiam praescerim ac Ieremiam, his dicendi neruis instructissimos, hac in re explicanda eligimus. Iesaias, in suis vaticiniis infligendam peccatis in Deum commissis praedicens euersionem Hierosolymorum, horum incolis copias hostium, urbem immanni diruentium crudelitate,

*subiectum*

ante

oculos proponit. Sed si quo maiorem illis incutiat metum  
terroremque, non hostes ipsos vocat, sed eorum regionem,  
velut si cum uno quodam homine agant. Elam, inquit,  
fert pharetras cum curribus hominum, et equitibus, et clypeos  
promit Kir. Nec minore vi Ieremias, in enarrando Aegy-  
ptiorum interitu, non incolas Aegypti, sed regionem ipsam,  
militante, arrogante, disturbanteque in scenam dicit.  
*Aegyptus ritu fluminis descendit, ruentibus quasi fluvialibus*  
aquis: descendam, inquit, terram operiam, urbem cum suis  
incolis perdam. <sup>2)</sup> Pari modo in vaticiniis sacris urbes pro  
incolis sumuntur. Quo grauius permoueat Iesaias obstina-  
tos Hierosolymitanos, urbem alloquitur: *Heu, Ariel,*  
*Ariel, urbs expugnata Dauidi, addite annum anno, festae*  
*iugulentur hostiae.* Ego vero Arielem moerore et tristitia an-  
gam, eoque ut Ariele utar, et te obsidens undique adeo machinis  
virgebo, excitatis contra te munitionibus, ut dieicta loquaris  
humiliter, et humi verba facias, voce utens subterranea, di-  
uinatricum ritu, humique verba mussans. <sup>3)</sup> Nihil vero  
tristis unquam memini me legere, *Damasco languente,*  
*in fugam versa, tremore capta, et angustia cruciatibusque*  
*correpta, quales sunt parturientium.* <sup>4)</sup> Maiores exemplo-  
rum aceruos construere, necesse non habemus. Quibus  
de robus <sup>5)</sup> *Brabundus non sonat, continet omni-*

4) Ies. XXII, 6.

2) Ierem. XLVI, 8.

3) Ies. XXVIII, 1.

4) Ierem. XLVIII, 24.

omnibus expeditis, atque ex sententia nostra satis dilucide comprobatis, nunc quoque non plane superflacaneum ducimus, membra singula, quae corpus humanum constituant, accipere personarum fictionem, adeo, ut illa non solum sensu gaudeant, sed etiam interdum contra totam corporis compaginem seditionem mouere videantur, paucis commemorare. Videmus quidem hac in re nobis penitus aduersari Homium, principem ingenii et iudicij, in suis principiis artis criticae, conceptis verbis dicentem: singulas partes corporis nostri personarum fictionis participes fieri non posse, et multo minus in pugnantes cum toto mutari. Attamen veritatis amici auctoritate viri eruditissimi ab sententia nostra confirmanda nos non deterremur. Digna sunt, quae legantur eius verba, quo lector ex illis facilius possit iudicare. Quum vero non sit in manibus nostris opus lingua Anglicana scriptum, ex interpretatione Germanica haec laudare licebit: *Die verschiedenen Theile des menschlichen Leibes sind zu genau mit dem Gantzen verbunden, als daß sie durch die Macht irgend einer Leidenschaft personifizirt werden könnten; und wenn ein solcher Theil in ein empfindendes Wesen ist verwandelt worden, so ist es noch schlimmer, ibn als aufrübrisch wider das Gantze vorzustellen.* 5) Quod vero ad prius mem- brum attinet, nos non absurde contrarium statuere, auctor est

F R E -

4) in den Grundsätzen der Critik, Theil, III, p. 98. von Figuren.

FREDER. GRONOVIVS, vir immortali memoria omnino dignus, qui occasione quadam incidit in locum Iuuenalis, in quo femori clamor tribuitur:

*Summum dominae femur exclamare coegerit.* <sup>6)</sup>

Ad quem locum illustrandum, vbi pars corporis in personam conuertitur, VIR SVMMVS praecipit, similia in vetustis poetis occurtere, illisque in frequenti vsu esse. Nam, ut nibil aliud, ait, memoremus, quam membra, manus Ζωοτοῖς Plautus Amphitr. pedes Pseudolo, alibi cor: partes, quae honeste vocari nequeunt, Horatius et Petronius: oculos Seneca in Phoenissis, cur non Iuuenalis femur? <sup>7)</sup> Ex praeconcepta opinione, partes singulas assumere non posse personarum imagines, non possunt non Homio displicere, quae veteres poetae de membris a corpore segregatis canunt. Quo consilio commemorabilem Virgilii locum, de dextra in pugna decisam, eum reprehendere, non est admirandum.

*Te decisa suum, Laride, dextera quaerit,  
Semainesque micant digiti, ferrumque retrahant.* <sup>8)</sup>

Die Personification einer Hand, ait in libro iam laudato, ist bier unerträglich, besonders in der sempeln Erzählung, außen daß eine so nichts bedeutende Sache zu umständlich beschrieben

B 2 mird.

6) Iuuenal. Satyra, VI, 424.

7) Freder. Gronou. Observatt. Lib. II. C. XVII, p. 267.

8) Virg. Aeneid. Lib. XI. 395. et 396.

wird. 9) Quaedam hic obseruanda nobis videntur. Verbis iam in conspectu lectoris positis, auctor quidem non aperte dicit, haec suae sententiae gratia de partibus a prosopopoeia alienis ferri non posse. Attamen, generali interposita causa, ex antecedentibus colligimus. Wenn außerordentliche Ehrenbezeigungen gegen eine Person vom niedrigsten Range lächerlich sind, so ist es die Personification eines niedrigen Gegenstandes nicht weniger, et paullo post: Et nige Dinge sind so gemein und niedrig, daß sieb die Personification nicht bis zu ihnen berablaffen kann. 10) Quae pronuntiata statim tribus exemplis suffulcire studet. De prioribus, nimurum e SHAKESPEARIO et THOMSONIO petitis, minus dubitamus, quin recte de illis sententiam tulerit. Tantummodo nos offendit HOMIVS, quod Virgilii locum cum prioribus comparauit, atque paullo iniquius de illo iudicauit. Verbis eius, vt decet, accurate ponderatis, nos non possumus dicere, quare hic personae fictio intolerabilis sit appellanda; nisi ex illa praeiudicata opinione. Virgilius, poeta longe maximus, non simplicem narrationem meramque descriptionem nobis suppeditat, sed ex ingenio suo excellenti in mentem reuocat manum herois Laridae, vlciscendi cupiditate flagrantem, seque denuo ad pugnani parantem. Deinde, si res narrantur simpli- citer, poetae ab historicis magnopere discedunt, rebusque

9) p. 102.

10) p. 100.

enumeratis, et sententias argutas, et formulas inusitatiores, deletionis causa, interponunt. Huc referas herois amputatam dextram, quae, se mel ardore pugnandi inflammata, hunc vel se iuncta retinet. Membra vero decisa ali etiam poetæ laude digni agitatione continuata mouent. E tanto poetarum cumulo modo ad Enniūm, Ouidium et Statium, Virgilii defendendi causā, cum Cerda pronocamus. Ouidius in enarranda crudeli Philomelae violatione linguam eius, a Tereo abruptam, sequenti ornat prosopopoeia:

— *forcipe linguam*

*Abstulit ense fero, radix micat ultima linguae.*

*Ipsa taceret, terraque tremens immurmurat arrae.*

*Virque salire solet mutilatae canda colubrae,*

*Palpitat, et moriens dominae vestigia querit.* <sup>11)</sup>)

Pari modo canit Statius:

— *diuidum trans corpus biantes*

*Truncum oculi quaerunt, animus caput.* <sup>12)</sup>)

Sed, ante hos Ennius, quem caeteri imitantur, similia tentauit, quae pulchre quadrant ad Maronis locum.

*Oscitat in campis caput a ceruice reuulsum,*

*Semanimesque micant oculi, lucemque requirunt.*

Itaque intelligere non possumus, cur singulae corporis partes

B 3 ad eis sibi atra a pro-

<sup>11)</sup> Ouid. Metam. Lib. VI, 556. seq.

<sup>12)</sup> Stat. Thebaid. Lib. VII, 645.

a prosopopoeia penitus sint excludendae, cum tamen totum in suas partes dissolui, sigillatimque eas cogitari posse, ne minem fugiat. Tandem ab re nostra non alienum arbitramur, vnam adhuc rationem adiicere, cur non sit absolum, eiusmodi partes, etiam a corpore separatas, ornamento prosopopoeiae haud indignas iudicare. Inanimatis et sensu omni constitutis affingere personam omnes probant, contra quidam hoc, ratione partium corporis, ferre recusant, quae tamen ex nostra sententia fiunt sine villa ratione plena. Membra corporis iam habent ea, quae primum inanimatis per prosopopoeiam sunt tribuenda. Illa enim etiam a corpore diuisa aliquandiu vigore quodam pollut, haec nihil sunt, nisi rudis materia. Ergo illa his huius figurae sunt capaciora, haecce multo magis sunt secundum naturam. Itaque libet simili comparatione; contra HOMIVM, ut et concludere. Si inanimatis ac sensu plane parentibus actiones personarum tribui possunt, quanto magis partibus corporis adhuc sentientibus. Atque haec in natura vere fundata, reliquum erit, probare. REIMARVS, cuius mortem orbis eruditus lacrymis acerbis prosequitur, ex scriptis virorum de scientia rerum naturalium bene meritorum a nobis dicta confirmat. Ex BEVERLEY annotauit, caput serpentis abscissum, coniunctum adhuc cum parte ceruicis, modo transuersum digitum lata, non solum ore vi aperto mordere studuisse, sed etiam dentes mobiles, veneno refer-

ros

tos leuasse, venenumque sparisse.<sup>13)</sup> LYONNETVS vespam dilacerauit, cuius pars anterior triduum omnia admiravit; et posterior aculeum tacta distinxit.<sup>14)</sup> Sed poetam consimilia dicentem de colubra rursus audiamus:

— Salire solet mūlarae cauda colubrae.<sup>15)</sup>

Nunc ad alterum membrum progrediamur, partes singulas interdum in pugnantes cum toto conuerti, quod negat HOMIVS. MENENIVS saltem AGRIPPA non prohibitus fuit, quo minus singulis membris tumultum in ventrem, tandemque in totum corpus attribueret, vt intestinam corporis seditionem similem irae plebis in patres demonstraret. E cuius oratione, ab Liuio commēmorata, haec pauca delibabimus. *Conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent.* Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra totumque corpus ad extremam rabem venisse.<sup>16)</sup> Atque haec facundia tanto pere multitudini placuit, vt mentes hominum, prius summo pere concitatas, flesteret placaretque. Quid, quod, adsumta HOMII sententia, Paullum ipsum familia proferentem vituperare cogimur. *Si se pes, inquit PAULLVS, quia manus non sit, corporis esse neget, an ideo non sit corporis? Item si auris, quia non sit oculus, se corporis esse neget, an ideo*

non

<sup>13)</sup> Reimarus von den Trieben der Thiere p. 156.

<sup>14)</sup> eodem loco

<sup>15)</sup> l. c. Ouid, ppcl.

<sup>16)</sup> Liu, Lib. II. C. 32.



*non sit corporis.*<sup>17)</sup> Hic Paullus partibus singulis personarum actiones tribuit, easque toti resistentes fingit.

§. III.

Natura in  
Demus con-  
uersa.

Nostrum nunc non fert institutum, plura de prosopopoeiae vsu ac praestantia verba facere. Potius, nostra dissertatione ostendere, operae pretium erit, multorum errorum grauissimorum effectricem esse prosopopoeiam. Multis quidem, huius ornamenti pulchritudine captis ei nos videbimus vim iniuriamque facere; sed re naturaque prosopopoeiae paullo diligentius perspecta, ad hanc sententiam proprius accident. Ante omnia nobis obseruanda quaedam sunt. Res animae expertes, ab oculis praesertim remotae, tantopere sensus non ferunt. De inanimatis quidem haec non plane negamus, cum alias aduersatur experientia. Nonne tempe, simulacra, a magno artifice confecta, aliaeque res, vita destituta, a nobis merito habentur in deliciis? Hic nobis tantum contendere placet, res vita gaudentes multo maiori gradu sensus titillare, animumque quasi occupare. Hic enim, perpetua vita pollens, lubentius versatur cum rebus viuis, et quidem praefentibus, oculorumque obtutum non fugientibus, quarum iucunditate se pascat. Quantam ergo vim habeat prosopopoeia in animum, ex his dictis facile iudicari potest. Prosopopoeia enim, ut iam

<sup>17)</sup> 1. Cor. XII, 15, 16, 21, seqq.

iam supra ostendimus, inanimata mutat in viua, aciemque oculorum fugientia in visa, omniaque tanquam praesentia offert animo.<sup>1)</sup> Quo fit, vt animus in rem praesentem ducatur, in Enthusiasmum quasi rapiatur, atque in errores grauissimos trahatur. Sed hic rursus HOMI O contradicere cogimur, qui, prosopopoeiam lectorem in errorem facile ducere posse, non vult concedere. *Unbelebte Dinge in empfindende Wesen zu verwandeln, ist eine so kühne Figur, daß sie unser sehr eignen Umständen, wie man sich vorstellen sollte, vorgerragen werden müsse, wenn sie den Leser verblenden sollte.*<sup>2)</sup> Quam nos sententiam quoque amplectemur, nisi alia certiora et clariora, illique contrarium magis probantia testimonia habememus. Verum est, prosopopocia haec minime effici posse videri, cum omnes, vt iamiam monuimus,<sup>3)</sup> non ignorant, ea, quae per illam de rebus inanimatis differantur, non per se dici vel cogitari posse, sed in comparatione cum quadam persona, similia faciente. Historia vero omnis generis longe aliud statuere cogit. Ordiner a cultu sanctorum, quem pesterum errorem antiquitus e prosopopoeia originem traxisse, neminem, historiam ecclesiasticam callentem, fugiet. Quae vero cum studio exquisito a viro magni nominis, DAL LAEO, in eruditissimo libro, *de cultus religiosis obiecto*, sint notata, non est, vt hic plura dicamus.<sup>4)</sup> Alios potius errores

1) §. I.

2) l. c. P. III. p. 76.

3) §. I.

capitales, e prosopopoeia exortos, nobis deliberatum et constitutum est, in nostra dissertatione in medium proferre. Familiam dicit error de natura, in Deum conuersa, qui in scriptis, cum veterum, tum recentiorum tam manifeste reperitur, ut de illo dubitandi nulla adhuc superesse caussa nobis videatur. Natura accuratioribus philosophis dicitur vis agendi, qua gaudet res stabilis quaelibet. Sic animi natura in vi cogitandi ponitur, semper actuosa, quam ob rem ab ARISTOTELE ἐντελέχειος vocatur, quod iam CICERO per continuatam agitationem expонit. Tot igitur sunt in mundo naturae, quot sunt substantiae. Sed propter sapientem rerum huius mundi conuenientiam, vocatur totus complexus omnium virium singularium natura vniuersa. Haec vniuersitatis natura pertinet ad ideas, quas mens per detractionem siue abstractionem informat. Cuiusmodi notiones in mente quidem sunt, sed extra mentem non reperiuntur, ab rebus ipsis separatae. Quo minus Deus debuit cum hac natura commisceri, qui sicut ab omni aeternitate, hasque vires rebus creatis concessit, ab his magnopere diuersus. Sed philosophorum quidam per naturam vniuersam vim vnicam intelligentes, actiones personarum illi tribuerunt, ac sibi persuaserunt, hanc vniuersitatem animal esse rationis compos et sapientissimum, quod omnia efficiat, prudenter dirigat et administret. PLINIVS MAIOR, in aureo alias libro *historiae naturalis*, naturam simili modo nobis proponit.

Ora-

Orationem eius, qua dubitat, vtrum natura parens, an no-  
uerca sit appellanda, aptissimam existimamus ad caussam no-  
stram efficiendam. *Principium*, inquit, *iure tribuetur bo-*  
*mini, cuius caussa videtur cuncta alia genuisse Natura, magna*  
*saeua mercede contra tanta sua munera: non sit ut satis ae-*  
*stimare, parens melior homini, an nouerca fuerit.*<sup>4)</sup> Sine  
multo negotio multis veterum poetarum locis, praesertim Lv.  
CRETI, idem ornare possemus. Sed ne longius oratio nostra  
progrediatur, his diuinissimis, recentioris poetae mentionem fa-  
ciamus. Medicus quidam nobilis, IOANNES IOACHIM BE-  
CHERVVS componebat preces, quarum initium hoc erat: *O*  
*sancta mater natura, aeterne rerum ordo.* Atque hunc in finem  
naturam implorauit, vt ea sibi sua ignosceret vitia, ipsa  
duce commissa,<sup>5)</sup> At hic error, sicut ex historia philosophica  
cognoscimus, satis est antiquus. Primum orientales per  
numen suum intelligebant spiritum, per omnes partes mundi  
diffusum, cuius diuinitati sedem in coeli astris concedebant,  
statuentes, in iis illud, vt animam in corpore habitare, illaque  
aptissima reddere ad diuina opera facienda. Vnde patet, eo-  
rum numen ab hoc vniuerso non secernendum, coque  
naturam esse intelligendam. De Aegyptiis saltet IABLONSKI  
IN PANTHEO AEGYPTIORVM id copiosissime conficit. <sup>6)</sup>

## C 2

## Quo-

4) Plin. histor. nat. Lib. VII. ab. initio.

5) Leibnitz. in Theodic. p. 549.

6) Lib. I. p. 272; et seq.

7) Diogenes.

Quorum vestigia pressit STRATO LAMPSACENVS, qui, si CICERONI fides est habenda, omnem vim diuinam in natura sitam arbitratus est, quae caussas gignendi, minuendi, augendiue habeat. <sup>7)</sup> Secuti sunt quoque Stoici, naturam sibi fingentes, sensu gaudentem, consilio, ratione, et anima quadam gubernatrice omnium rerum. Quae statim ex ipsa definitione naturae, a ZENONE, patre huius studii, petita concludi possunt. *Eis de Φύσις ἐξ ἐξ αὐτῆς πινούμενη κατὰ σπερματικοὺς λόγους, ἀποτελοῦσά τε, καὶ συνέχουσα τὰ ἐξ αὐτῆς ἐν ὕερμένοις χερόνοις, καὶ τοιαῦτα δεῖστα, ἀφ' οῶν ἀπεκρίθη.* *Est autem natura facultas, ex se ipso motum accipiens, secundum seminales rationes, efficiensque et continens, quae ex ipso constant, statuis definitisque temporibus, taliaque faciens, qualia sint ea, a quibus secreta fuerit* <sup>8)</sup> *Quin etiam ex definitione ZENONIS, qualis Stoicis fuerit Deus, cognoscere possumus. Multis nominibus Deus Stoicorum insignitur, Iouem, Vulcanum, mentem, fatum, naturam illum vocant. Naturam quidem interdum ab ipso Deo distinguere Stoici videntur, sed, ubi distinguunt, intelligunt ordinem et rationi consentaneum motum, quo Deus omnia peruidit. Naturam omnino ab Stoicis putari Deum, SENECA testis est fide dignus, cum ipse huius sectae strenuus fuit aemulus. Quid aliud est natura, quam Deus? et diuina ratio, roti mundo et partibus eius inserta?*

<sup>7)</sup> De Natura Deor. Lib. I, 13. <sup>8)</sup> Diogen. Laert. Lib. VII. Segm. 148.

quoties voles, tibi licet, aliter bunc auctorem rerum nostrarum compellare. <sup>9)</sup> Quem tandem praeterit, etiam ex recentioribus philosophis quosdam fautores Pantheismi prodidisse. Famosissimus praesertim est philosophus BENEDICTVS SPINOZA, qui ambabus manibus hunc errorem ad sua castra recepit. *Omnia, dicit, quae sunt, sunt in Deo, ac nihil potest esse extra Deum, aut cogitari.* Quae non aliam habent sententiam, ac mundo vnicam substantiam contineri, quam soleat iste Deum appellare, et, praeter quam nihil sit aliud sumendum. <sup>10)</sup>

#### §. IV.

ERROR errorem sequitur. Natura in Deorum coetu ac numero reposita, omnino longe maximus error existere potuit, omnia, quae fiant in mundo, absoluta necessitate fieri, quam uno verbo veteres Fatum appellant. Poetae, ut solent, in carminibus suis Fatum prosopopoeia ornantes, illud tanquam Numen coluerunt inuocaruntque. Cui tandem, ut historici tradunt, templa consecrata fuerunt. Ante vero, quam de errore ipso exponamus, non inutile erit, de triplici Fato, cuius ex instituto cruditi mentionem fecere, quos inter CVDWORTHVS eminet, pauca praefari. Fatum

*Fatum in  
Numen mis-  
tatum.*

C 3

est

9) Senec. de benef. Lib. IV. C. 7.

10) Spin. in oper. posth. ethic.

Definit. 3, et 6.

est Mathematicum, Democriticum, et fatum supremo Nume  
mine superius. Fatum Mathematicum vocatur et Astrologi  
cum, vnde facile quisque poterit intelligere, hoc significari  
diuinationes ex multiplici siderum cursu ac motu. Anti  
quissimi enim populi, vt supra diximus,<sup>1)</sup> Deos habitare  
in sideribus, censuerunt, qua praeiudicata opinione in aliam  
inciderunt, omnia astrorum lege et virtute fieri. Fatum  
dicitur Democriticum, ab ipso auctore Democrito. Physica  
corpuscularis etiam vocatur, doctrina de Atomis, et Phy  
sica mechanica, quae tradit, res omnes naturali quadam  
fieri necessitate. Alii tandem excogitarunt Fatum, ipso Nu  
mine superius, atque adeo Iouem optimum maximum ei resi  
stere posse negarunt. Cuius meminisse videtur CICERO:  
*Hoc sentit, ait, Homerus, cum querentem Iouem inducit,*  
*quod Sarpedonem filium a morte contra Fatum eripere non*  
*posset. Hoc idem significat Graecus ille in eam sententiam*  
*versus.*

*Quod fore paratum est, id summum exsuperat Iouem.*<sup>2)</sup>  
Quocum conueniunt verba Philemonis.

Δοῦλοι βασιλέων ἐσμὲν, οἱ βασιλεῖς Θεῶν

'Ο Θεὸς ἀνάγκης'

*Nos Regibus, Reges Diis subseruiunt,*

*Necessitati Deus.*

1) §. III.

2) Cic. de diuinat. Lib. II. C. X.

Lactan.

LACTANTIVS in diluendis destruendisque gentilium opinionibus  
merito hoc Fatum acute illudit. *Illud vero, quale est?*  
*esse fata, quibus dii omnes, et ipse Iupiter pareat.* Si Parca-  
rum tanta vis est, ut plus possint, quam coelestes uniuersi,  
quamque ipse rex ac dominus: cur non illae potius regnare  
dicantur; quarum legibus ac statutis pavere omnes deos nece-  
fitas cogit, 3) Possimus quidem plures locos poetarum illu-  
strandi caussa prioribus addere. Quoniam vero nobis veren-  
dum est, ne nimis longa fiat nostra disputatio, haec pauca  
sufficient. Quibus praefultis moneimus, nos non tam de primo,  
vel altero, vel tertio Fati genere sigillatim loqui, quam instituto  
nostro conuenientius, de Fato in genere commentari. Fata  
variis epithetis, ac personae partim propriis insigniuntur in  
vetustissimis vatibus. Modo vocantur sinistra, modo dira,  
modo impia, modo inuida, modo superata, modo victri-  
cia. Nouissime appositum cum primis attentione nostra di-  
gnum est, quod etiam in antiquissimis numismatibus legitur.  
SPANHEMIVS, in eruditissimo libro: DE PRAESTANTIA ET  
VSV NVMISMATVM, mentionem fecit nummi aurei, exi-  
miae raritatis, qui Cimeliarchium magni literarum Mac-  
cenatis, Medicci Cardinalis Leopoldi ornauit. Hinc pi-  
ctus est Diocletianus imperator, illinc cuse sunt tres  
mulieres, stantes cum cornibus copiae, atque hac inscri-

prione

3) Lactant, instit. diu. Lib. I, C. XI,

ptione, FATIS VICTRICIBVS. 4) Fatum in personam utatum poetac honoribus diuinis affecerunt. Audiamus ipsos, quo certior fiat fides nostra. SENECA profert locum Cleanthis hoc pertinentem:

*Αγε δή μ' ὁ ζεῦ, καὶ σύγ' ἡ πεπωμένη,*

*"Οποι ποθ' ὑμῖν εἴμι διατεταγμένος,*

*'Ως ἔφοραι γ' ὄσκος, ἦ δὲ μὴ θέλω,*

*Κακὸς γενόμενος, οὐδὲν ἥττον ἔφορος.*

*Duc me parens, celsique dominator poli,*

*Quocunque placuit, nulla parendi mora est.*

*Affum impiger, fac nolle, comitabor gemens,*

*Malusque patiar, quod pari licuit bono.*

Addit SENECA adhuc vnum versum:

*Ducunt volentem fata, nolentem trahunt, 5)*  
quem vero LIPSIUS insitium et alibi lectum putat.

Parcam implorat MOSCHIO apud STOBAEVM, imperatricem Deorum et mortalium, appellatque illam inexorabilem, neque ullis commouendam precibus, non misericordia flectendam, non gratia:

*Ω καὶ Θεῶν κρατοῦσα καὶ Θυητῶν μένη,*

*Μοῖρ' ὁ λιταῖς ἀτρωτε δυσήνων βροτῶν,*

*Πλὴν τλῆμ εἰνάργης συγνὸν ἢ κατ' αὐχένων*

*'Ημῶν ἐρείδεις, τῆς τε λατερίας ζυγόν.*

*O, Imper-*

4) Spanheimius in libro laudato Dissert. XIII. T. II. p. 639.

5) Seneca in epist. CVII.

*O Imperatrix et Deum et mortalium,  
Precibusque nostris Farca inexorabilis,  
Tu, quicquid audet impotens Necessitas,  
Hoc seruientes ferre nos cogis iugum.<sup>6)</sup>*

SPANHEMIUS quoque obseruat e Procopio, Romae in honorem Parcarum olim templum suisse exstructum, nomine TRIVM FATORVM. Εχει δὲ τὸν νεών ἐν τῇ ἀγορᾷ πρὸ τοῦ Βουλευτηρίου ὄλιγον ὑπερβάντα ΤΑΤΡΙΑ ΦΑΤΑ. οὗτον γὰρ Ρωμαῖοι ΤΑΣ ΜΟΙΡΑΣ νεομίκασι καλέιν. Aedem vero habet Iannus in foro pro Curia, paullo super TRIA FATA. Sic Romani Parcas vocare consueverunt. <sup>7)</sup> Apud Lacedaemonios quoque, et prope Thebas Parcarum aedes suisse, memorat PAVSANTIAS <sup>8)</sup> atque apud Phaeacenses, auctor est APOLLONTVS RHODIUS. <sup>9)</sup> Itaque FATUM primum a poetis e vulgi opinione imagine personae in scenam ductum, deinde in Deorum numerum relatum, ac denique illi templum sicut consecratum. Tandem philosophi, in portici praecipue, doctrinam de Fato subtilius tractarunt, atque, argumentis vnde conquisitis, cum naturae coniunxerunt necessitate. Neque historici assensionem recusarunt, in Fatum saepe conferentes culpam, quoties res minus propere occiderunt. Anile sane, et plenum superstitionis fati nomen ipsum dicimus. <sup>10)</sup>

### §. V.

UT poetis aliquisque scriptoribus presanis in usu est, Fortuna tunam una cum Fato tractemus.

Fortuna  
pro Den  
habita,

Te

¶ Stobaeus in Excerptis de rerum Natura Tit. VIII. p. 126.

7) Bell. Goth. Lib. I. c. 25.

8) Spanhemius cit. I.

9) Spanhemius cit. I.

10) Cic. de diuinat. Lib. II. c. 7.

*Te semper anteit serua necessitas,*

*Clavos trabales, et cuneos manu*

*Gestans abena;*<sup>1)</sup> — —

Antecedens Sphus lectoris ante oculos posuit Fatum, tanquam Numen non vlli mutationi subiectum. Hac vero nobis erit sermo de Fortuna, a Fato diuersa. Veteres enim illam quasi Deam quandam, humanas res variis casibus illudentem, sibi fixerunt. Qua vero nihil insanis, nihil rerum conagmentationi minus consentaneum excogitari potuit. Fortuna est mutabilium rerum subitus atque inopinatus euentus. Ergo Fortuna per se nihil est: nec sic habendum, tanquam sit in aliquo sensu. Est potius deliratio inconsideratae levitatis. Sententia, a vulgo hoc monstrum primum fuisse inuentum, magnam prae se fert speciem probabilitatis, quod ei omnia improuisa nec opinata videntur, propter obscuritatem ignorantemque caussarum. Ignari, vnde sibi bona et mala eueniant, statim haec Fortunae tribuunt. Itaque PLINTVS testatur, hanc sententiam in communem vslum fuisse receptam. *Toto quippe mundo*, ait, *omnibusque locis et boris omnium vocibus Fortuna inuocatur, et una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, et conuictis colitur, volubilisque a plerisque, et coeca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia indignorumque fautrix: huic omnia expensa, omnia feruntur accepta, et in toto ratione mortalium sola utramque paginam facit.* Adeoque obnoxiae sumus sortis, ut sors ipsa pro Deo sit, *qua Deus probatur incertus.*<sup>2)</sup> Fortuna non vnum perpetuumque habuit nomen, sed secundum rerum euentum illa fuit iudicata. Si bonus fuerat euentus, maximis laudibus

1) Horat. Carm. Lib. I, od. 35.

2) Plin. histor. nat. Lib. 2, c. 7.

illam ornarunt; sin malus, contra acerrimis accusationibus hanc prosciderunt, eiusque iniquitatem lacerarunt. Poetae, ad vulgi praesertim imperitorumque opiniones se accommodantes, ut illis magis placerent, Fortunam variis nominibus cohonestabant, et diuinis honoribus celebrabant. Videntur quidem quibusdam IVVENALIS ab hoc errore immunis:

*Nullum Numen abest, si sit prudentia, sed te  
Nos facimus FORTVNA Deam, coeloque locamus.* <sup>3)</sup>

Attamen nos non possumus negare, IVVENALEM quoque, amore vulgaris sententiae, multa huic Fortunae tribuisse:

— STAT FORTVNA improba noctu  
*Arridens blandis infantibus. Hos fouet omnes*  
*Inuoluitque sinu, domibus tunc porrigit aleis,*  
*Secretumque sibi minimum parat. Hos amat, his se*  
*Ingerit, atque suos ridens producit alumnos.* <sup>4)</sup>

Quibus verbis indicauit, quam miris modis fortuna nothis fauac, eosque ad summum honoris fastigium euchat. Sed haec ὡς ἐν παρέδω. Audiamus alias poetas. Geta apud TERENTIVM Fortunam magnis laudibus extollit:

*O Fortuna! o fors Fortuna! quantis commoditatibus,  
Quam subito meo hero Antipboni ope vestra hunc one-  
rastis diem.* <sup>5)</sup>

In primis Ode Horatii iam laudata Fortunam in throno diuino collocat <sup>6)</sup>

Virgilius autem illi dotem tribuit, quae soli Deo competit:

D 2 For-

<sup>3)</sup> Iuvén. Satyr. X. 305. et 306.

<sup>4)</sup> id. Satyr. VI. 606 — 610.

<sup>5)</sup> Terent. Phorm. Act. V. Scen. VI.

<sup>6)</sup> Od. 35, L. I. Carr.

*Fortuna omnipotens, ineluctabile Fatum. 7)*

Graecos Poetas cum Latinis eandem in sententiam nullo comparabis negotio, si consulueris Stobaeum 8)

Romanis existimantibus, Fortuna Rempublicam constitutam, ea in magnis fuit honoribus. Plus illi, quam virtuti adscripserunt, ideoque plura Fortunae templa fuerunt Romae, quam Virtutis. Fortunam publicam, Fortunam Reipublicae, Fortunam populi Romani, Fortunam Romanam illam vocarunt. Vnde illud OVIDII:

*Nec Te praetereo, populi Fortuna potentis  
Publica, cui templum luce sequente datum 9)*

In nummis quoque Fortuna cusa fuit hac inscriptione:

FORTVNA OBSEQVENS, FORTVNA MANENS. Atque simulacrum Fortunae, cum cornucopiae et gubernaculo, aliisque insignibus sculptum, in antiquis extare lapidibus, pluribus ostendit, PHIL. DAN. LIPPERTVS, dulce decus patriae nostrae.<sup>10)</sup> Nihil autem celebratius Fortuna Praenestina, de qua fuse PIGHIVS differit.<sup>11)</sup>

§. VI.

Nunc progrediamur ad postremum errorem, cum prioribus copulatum, nimirum idolatriam, etiam adhuc inter multas gentes dominantem. Antiquitate huius erroris teterrimi perquisita, inuenimus, Aegyptios multis aliis gentibus huius culpae fuisse autores, atque, ex sententia virorum in ritibus

eorum

7) Virgil, Lib. VIII. Aeneid. 334. 8) Stobaeus in excerptis Tit. X. p. 136.

9) Ovid. Fast. Lib. V. 729. et 30.

10) Lippert, in Dactylodice, Erstes Mythologisches Tausend IX. Abschln. Cap. III. p. 249. 11) in Hercule Prodicio p. 384, seqq.

eorum ac Thacologia versatissimorum, ex Thebaide, parte Aegypti superiore, prima corruptae religionis semina in inferiorem se diffusisse. Tanta quoque de religionis depravatione nos optime instituit historia Tharae, Abrahami, Nachoris, Iacobi, Iosephi. Duplex fuit Aegyptiis Deorum classis. Una Νοντῶν, altera Αἰσθητῶν. Νοντῶν vocarunt Deos naturae spirituallis adeoque sensibus non obnoxios, sed sola vi intellectus cognoscendos. Αἰσθητοὶ vero fuerunt sensibiles, vt elementa, corpora mundi aliaeque res creatae. Initium factum est ab sole, luna et sideribus. A coelo in terram delapsi sunt, resque magnis virtutibus pollentes diuino honore afficerunt. Vnde imaginum cultus statuarumque secutus est, vt praesentes haberent, quos venerarentur Deos. Quin imo homines, quos de se bene meritos esse iudicabant, aliasque res minimas honore diuino sunt prosecuti. Secuti sunt Graeci, pariter et Romani, aliaeque gentes barbarae. Profecto ultima causa huius erroris ardentissima fuit hominum ad res in sensus incurrentes propensio. Homines enim, ad res concretae molis expertes, seu simplices atque insensibiles non lubenter assurgentes, rebus creatis ex materia compositis, atque sensus titillantibus, praesertim ob earum splendorem utilitatemque, diuinitatem quandam affinxerunt. Poetæ tandem, more suo omnium ingenio inseruientes, hunc detestabilem errorem in carminibus suis elogiis praestantissimis magis magisque confirmarunt, latiusque propagarunt. Adderemus poetarum sententias, nisi earum cumulus in magnis operibus Vossii, et Pfanneri aliorumque virorum, de rebus antiquis bene meritorum, reperiri posset. Potius nos conuertamus ad aliam rem, longe grauiorem, de qua inter doctissimos viros multum iam fuit disputatum. Nos hic anquiramus, num Israelitae quoque, diuinis oraculis gaudentes, sed in Aegypto

gypto corrupti, idololatriae fuerint antiquitus dediti. Multi hoc negant, propter opiniones Marshami et Spenceri. Nec vero illas totas comprobamus, quamuis viris eruditissimis eruditio-  
nem derogare non possimus. Nam amici veritatis eam a quoli-  
bet accipimus gratissimo animo, etsi etiam noster est hostis.

— *Fas est et ab hoste doceri.*

Nos non imus infitias, eos hoc nimis exaggerasse, vt caussae  
suae inferuiren, taliaque in medium protulisse, quae codici  
sacro, rerumque gestarum monimentis non semper sint con-  
sentanea, sicut Perizonius in originibus Aegyptiacis passim  
ostendit. Sed attulerunt nonnulla, in quibus, si refragari velle-  
mus, contra facta nobis disputandum foret. Prouocamus ad  
locum Iosuae, qui hanc caussam agat. Auferte Deos alienos,  
quos vestri patres trans flumen, atque in Aegypto coluerunt.<sup>1)</sup> Quam adhortationem mox repetit. Reiciete  
Deos alienos, qui sunt inter vos. Simpliciter neque cum  
conditione Iosua locutus est. Quamuis hoc sit factum histo-  
ricum, vbi rationes theologicae admodum nihil valent, qui-  
dam tamen hoc modo manifestam veritatem oppugnare stu-  
dent.<sup>2)</sup> Audiamus eorum rationes. Dicunt: Iosuam nu-  
mina falsa remoturum fuisse. Salua caussa nostra, illis conce-  
dere possumus, neminem praeter Deum palam adorasse Israe-  
litas, tamen clam illis in vsu fuisse, Deos tutelares, nemo ne-  
gabit. Tales Deos domesticos fuisse, docet historia Iacobi  
aliorumque. Fuerunt falsa numina, imagines, vel statuac  
cultui profano destinatae. Manifesto distinguuntur Labanis

Tera-

<sup>1)</sup> Ios. XXIV. 14. <sup>2)</sup> Die heilige Schrift des alten und neuen Testa-  
mentes, nebst einer vollständigen Erklärung derselben aus Engländischen  
Schriftstellern T. III. p. 208.

Teraphim a vero Deo. **תְּרֵפִים** fuisse idola, constat ex innumeris locis. <sup>31</sup> Paginae sacrae etiam testantur, temporibus Dauidis eiusmodi idola fuisse. Nam cum Dauides satellites Saulis effugisset, Michal Dauidis coniux singens, eum morbo laborare, dicitur sumfisse Teraphim, lectoque composuisse. Quibus ex omnibus satis dilucide appetet, Iosuam Deos Israelitarum nescire potuisse, quod illi facile occultari potuerunt, ut dii Labanis, sub strato camelii ab Rachele absconditi. Ex his denique poterunt ipsius Iosuac verba explicari. <sup>32</sup> Nam si Iosua Israelitarum vitam doctrinamque magnis laudibus extollit, sermo tantum est de publico cultu, quem recte instituerunt, praesertim cum non omnes superstitioni fuerint. Quo si eos reprehendit, hoc pertinet ad eorum clandestinam idololatriam, quam tunc Iosua animaduertit. Vrgent iidem, Deum hoc non toleraturum fuisse. Nonne vero Deus alia pertulit, obstinationis Israelitarum caussa, ut eos sensim corrigerer? Sed forsitan hac responsione illis non satisfacere videtur. Accidunt enim hoc telum. Esto, indulsisse Deum aliquid Israelitis, διὰ τὴν συληροναρ-  
δεων αὐτῶν, hoc tamen de rebus non prorsus illicitis furet intelligendum, aut quae salua religionis veritate concedi poterant, quod de idolis profecto, qualia Teraphim fierint, dici nequeat. Cur vero Deus in familia Iacobii cultui veri Dei addictissimi, atque ipso cum Deo pugnantis, ab eoque promissiones accipientis Teraphim pertulit, neque ideo Iacobum obiurgavit, quod vxorum suarum maiorem curam non habuit? Sed quid plura? In promulgatis testimonia Spiritus sancti. Quilibet abiiciat, inquit Deus, res abominandas, (cuiusmodi fuerunt idola,) nec pollutis vos factis Aegypti numinibus. Nam ego sum Iehoua Deus.

<sup>31</sup> I. Sam. XV, 23. II. Reg. XXIII, 24. Ezech. XXI, 21. Zachar. X, 2.

us vester. Sed immorigeri meum imperium recusarunt, nec  
vllus abiecit res abominatione dignas, nec deseruerunt idola  
Aegypti. Tunc mecum statui, iam in Aegypto in illos me-  
am iram euomere. 4) Porro neminem fugit, in literis sacris  
idolatriam cum stupro comparari. Cuius Israelitae etiam  
accusantnr. Scortatae sunt in Aegypto, idque a pueris, com-  
pressis ibi et subactis carum mammis. Nec omiserunt  
euanum cum Aegytiis impudicitiam, qui ei puellae concubuisserint,  
eamque sua perfudissent libidine. 5) Eandem sententiam et-  
iam amplexus est immortalis IABLONSKI. Dicens enim, su-  
perstitionem Aegyptiorum in dies vchementer creuisse, ad-  
dit, huius quoque mali contagionem pernicioſissimam ad  
Israelitas ipos permahasse, ipsosque ad imitationem  
tam insanac impietatis pellexisse. 6)

4) Ezech. XX. 7. 8.

5) Ezech. XXIII, 3. 8.  
6) Proleg. Panth. Aegypt. §. XI. p. XXIII.

#### EMENDANDA

§. IIII. pag. 16. pro Demus lege Deum,  
lege mutatum.

§. IV. pag. 24. pro viatuum



Pon II d 278, qk

ULB Halle  
004 776 356



3

f

VD18



B.I.G.

8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
Centimetres	
1	Blue
2	Cyan
3	Green
4	Yellow
5	Red
6	Magenta
7	White
8	3/Color
9	Black
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
Inches	

Farbkarte #13

QK. 533, 23

B. m. T.

Hd  
278

PROSOPOPOEIAM  
MVLTORVM ERRORVM  
GRAVISSIMORVM EFFECTRICEM

PRAESIDE  
IOANNE FRIDERICO  
HILLERO

PROF. ELOQV. PVBL. ORD. ATQVE ALVM.  
ELECT. EPHOR.

V. KALEND. OCTOBR. A. R. S. cI CCLXVIII

IN AVDTORIO MAIORI

DEMONSTRAT  
AVCTOR

CAROLVS AVGVSTVS BOEHME

DRESSENSIS

SACRAR. LITERAR. CVLTOR.

VITEMBERGAE  
EX OFFICINA GERDESIANA.

